



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris  
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,  
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,  
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter  
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad  
proxim accommodatas

**Archdekin, Richard**

**Antverpiæ, 1682**

Quæstio 15. Quid dicendum in communi de alijs Consuetudinarijs, qui  
more ordinario confitentur se ex pravo habitu in idem peccatum sæpe  
relapsos fuisse?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40873**

## QUÆSTIO XV.

*Quid dicendum in communi de aliis Consuetudinariis qui more ordinario confitentur se ex pravo habitu in idem peccatum s&epe relapsos fuisse?*

R Espondeo, Etsi aliquando possit esse res consilii ut talis benignè differatur, nihil tamen vetat sine dilatione tales absolvī, si fincē afferant se ex animo de peccatis dolere, ac spondeant emendationem, nec recusent media congrua contra illam peccandi consuetudinem, nisi apud eundem confessarium eadem promissa nimis s&epe refellerint. Quamvis huic praxi nova quorundam Methodus & doctrina reclamet, de qua alibi. Interea advertant illi Sacramentum P&enitentiae institutum esse propter hominem, non autem hominem propter Sacramentum, ac proinde Christum malle aliquali periculo exponi Sacramenti valorem, quam hominis salutem æternam: hæc autem, dilatâ absolutione, discri- men incurrit, sive ex morte improvisa in statu peccati, sive ex desperatione p&enitentis non facile ad confessarium reddituri, si experia- tur post confessionem cum rubore & p&enitudi- ne institutum, se in eodem statu relinquī, & absolutionis beneficium frustra implorare. Ad- vertant etiam, lucrum ingens ex merito, & fructu bonorum operum, & indulgentiarum, & Eucharistiae, quibus p&enitens privatur, quam- diu in statu peccati sine absolutione relinquitur. Denique hujusmodi severos animarum Cura- tores interrogo, An ipsi, aut alii Confessarii non fint homines, qui possint subinde pravâ aliquâ peccandi.

F 3

126 Pars 3. tract. 1. De Opinionum probabilitate  
peccandi consuetudine laborare? Id nemo inficiabitur. Quid in hoc casu illis fiet? An absolu-  
tio deneganda donec tandem forte se emen-  
daverint? Interea remanebunt incapaces lici-  
tè Baptizandi, celebrandi, absoluendi, & alia Sacra-  
menta conferendi suo populo, cui te-  
nentur inservire. Necesse igitur erit, ut vel  
gregem suum debito animarum subsidio desti-  
tuant, vel illis per alios deserviant, vel certè  
nt absolutionis beneficium, quod aliis negant,  
sibi velint sine tali dilatione conferri. Unicum  
his malis supereft remedium, ut deposito erro-  
re ac rigore noxio, juxta legem charitatis &  
justitiae, alios in tribunali pénitentiæ eo mo-  
do tractent, quo seipso tractari cupiunt.

Sed quid de Recidivo, qui aliquoties promi-  
sit emendationem, v. g. concubinam dimitte-  
re, nec tamen promissa ut potuit implevit?  
Respondeo, Talem dimittendum tanquam in-  
dispositum, nisi nova, & extraordinaria ser-  
emendationis signa exhibeat.

Cæterum, ut supra dixi, non esse lege ordi-  
nariâ differendam Consuetudinariis absolu-  
tionem donec actu vitam emendent, docent tan-  
to numero Theologi, ut ex iis possim omnino  
triginta rectè lectos & examinatos ex variis  
Scholis proferre, inter quos est Suarez de Reli-  
gione tom. 2. lib. 3. de Juram. cap. 8. Lugo de  
pænit. disp. 14. sect. 10. Dicastillio de pænit.  
disp. 10. num. 575. Sylvius celebris Doctor  
duacenus 2. 2. q. 13. art. 2. ad 2. Baffæus tom.  
1. verbo, Juramentum, num. 2. Leander  
SS. Sacramento disp. 7. tract. 5. q. 34. Candidus  
Disquis. de pænit. 24. art. 27. dub. 7. &c. Quo-  
bus accedit recens & doctus author Ioannes Bo-  
eo de pænit. disp. 7. sect. 4. & ex eadem Reco-

lectorum

lectorum Schola Lovaniensi *Guilielmus Herinex* qui præclaris meritis recenter Infulam decoravit.

## QUÆSTIO XVI.

*An probabile sit Confessarium, qui in Sacramentali confessione novit pænitentem ad officium vel prælaturam indignum esse, posse illi in electione gratuita & secreta suum suffragium negare?*

**P**artem affirmativam Authores externi omnino ut probabilem in praxi sustinere non dubitant. Docent eam cum D. Thoma quod lib. 5. q. 6. art. 13. Paludanus dist. 31. quæst. 3. Sotus de secreto quæst. 4. post concl. 4. Petrus de Ledesma in summa cap. 22. dub. 3. post concl. 5. D. Antonius, Nugnus, Deza, Medina, Mart. de Ledesma, Tabiena, & Sylvester, apud Thomam Hurtado tom. 2. tract. 12. c. 1. n. 1369. Pro eadem sententia ferè quadriginta Authores refert noster Sanchez de maztrin. lib. 3. disp. 15. n. 2. Hos sequitur apud Dianam 3. p. tr. 4. ref. 76. Portel, Navarrus, Gutierrez, & alii quos recenset & sequitur Leander à SS. Sacramento de pænit. tom. 1. tract. 5. disp. 10. quæst. 84. Quia, cum suffragium sit occultum, censent neque violari sigillum confessionis, neque Sacerdotem privari suo jure quod habet extra Sacramentum dengandi indigno suum suffragium. Quinimo aliqui apud Sanchez supra, docent ad dengandum teneri, si id judicet bono publico expedire.

Nihilominus, sepositâ authoritate istorum  
F 4      Theo-